Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1271
Quelle:
Copyright:

quam teſtibus *Balaeo*, *Pitſeo* et *Tannero Bibl. Brit. Hib.* p. 736. pariter *Ganfredi*, *Gaufredi*, *Galfredi*, *Godefridi*, *Gualteri* (ita enim a variis ſcribitur) haberi poſſit. Vixit non inconcinnus hic Poeta *Anglus* in confinio Seculi XII. et XIII. ſub *Innocentio* III. in cujus nomen initium Poematis ita ludit:

Papa ſtupor mundi! ſi dixero: Papa Nocenti!
Acephalum nomen tribuam tibi; ſi caput addam,
Hoſtis erit metri.

In contextu vix aliquid diverſitatis occurrit, quod ſolertem *Leyſerum* fugiſſet. *Ganfredi* cognomen *de vino ſalvo*, vocabulo patrio *Wineſauf*, Germanis noſtris male ſonaret, utut Poetae ſit.

IV. *fol.* 78. p. 2. Elegia diſtichorum CCXV. multa facilitate decurrens, qua lepida texitur *Fabella de duobus Fratribus* divite et paupere, quorum huic in agello ſuo enormis Rapa nata eſt, pro qua ad Regem delata copioſis donis cumulatus abiit. Uſſit id Fratrem invidum, detulit et ipſe, quidquid pretioſi habebat, ad Regem, ab eoque praemium, Fratris Rapam, accepit. Unde Fratri in ſilvam pellecto, conſtitutis ſicariis, mortem parabat. Verum hi cantu Scholaris forte fortuna illac equo iter agentis perterriti diffugerunt ſacco, cui hominem incluſerant, ex arbore ſuſpenſo. Invitavit arboris hujus umbra Scholarem ad capiendam quietem, ſed voce ad eum adlapſa perculſus audivit, in illo ſacco melius addiſci poſſe Philoſophiam, quam in ulla Academia. Itaque ſtationem cum incluſo mutavit, a quo pendulus irriſus et deſtitutus eſt. Init Carmen:

Fama fuiſſe duos teſtatur friuola Fratres,
Quos uni mater edidit una viro.
Militie tytulus hos inſigniuerat ambos,
Ex quibus unus erat diues, et alter inops. &c.

Concluditurque:

His dictis conſcendit equum pendentis, abitque,
Et clamans inquit: Magne Sophiſta vale!

Adhaerent quaedam Sententiae et Adagia diſtichis concepta.

V. *fol.* 81. *Conſecratio lapidum*, quae incipit: *Omnis creatura in propria natura, in qua a deo condita eſt, ab ipſo bona condita eſt et benedicta. Sed pro peccato inobedientie corrupto primo homine, deinde que propter hominem primum ad uſus hominum iam creata fuerant*